

Werk

Titel: Petri Petiti Philosophi & Doctoris Medici Parisiensis De Sibylla
Untertitel: Libri tres
Autor: Petitus, Petrus
Verlag: Lankisch; Guntherus
Ort: Lipsiae; Lipsiae
Jahr: 1686
Kollektion: VD17-Mainstream
Gattung: Altertumskunde
Digitalisiert: Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Werk Id: PPN737373385
PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN737373385>
OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=737373385>
LOG Id: LOG_0007
LOG Titel: Caput I. - Caput VII.
LOG Typ: chapter

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions. Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
 Georg-August-Universität Göttingen
 Platz der Göttinger Sieben 1
 37073 Göttingen
 Germany
 Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

PETRI PETITI

Philosophi, & Doctoris medici,

DE

SIBYLLA

LIBRI TRES.

LIBER PRIMVS.



CAPVT I.

Auctorum pugna de numero Sibyllarum. Vnde primum ad nos Sibyllarum notitia processerit. Lactantii in his perplexitas.



Um nobis propositum sit in
nos de Sibylla libros conferre
quæcumque de ipsa veterum
monumentis prodita obserua-
uimus, quemadmodum præfa-
tio aperuit; statim in ipso tra-
ctationis exordio explicandum videtur, cur de
Sibylla promittam, non de *Sibyllis*, in multitudi-
nis numero, vt fere omnes qui id argumentum
tractarunt. Est autem in promptu responsio;
quia non arbitror plures fuisse Sibyllas, sed
vnam tantum extitisse ostendo. Quod cum a
A vulgata

vulgata opinione magnopere abhorreat, statim hunc scrupulum ex animis lectorum eximendum censui, vt eos ad reliqua propositi mecum decurrenda habeam promptiores.

Ac primum velim omnes considerare, quanta sit eorum, qui plures Sibyllas profitentur, in numero earum assignando dissensio. Quo sane probatur, nemini fatis esse de numero isto, qualis aut quantus censerī debeat, exploratum. Quod si ita est, cur non dubitemus, pluresne omnino fuerint Sibyllæ, an vnica tantum? Quod igitur parum inter auctores de numero Sibyllarum conueniat, id primum attingam paucis; postea vnicam fuisse duntaxat, dilucidis veterum atque omni exceptione maiorum auctorum testimoniis probabo. Enimuero Varro, quem Lactantius & alii complures ducem sequuntur, decem omnino Sibyllas commemorat; quæ hoc ordine apud eundem Lactantium lib. i. de falsa religione cap. 6. recensentur: Persica, Libyssa, Delphica, Cumæa, Erythræa, Samia, Cumana, (quæ & Amalthæa, Demophile, siue Herophile nuncupata) Hellepontica, Phrygia, Tiburtina. Ita ille auctor ex Varrone. Sed & aliquot alias his adiungit Suidas, si non eadem censendæ diuersis nominibus: Helissam, Colophoniam, quæ & Lampusa dicta sit, Thessalam item, tum quæ Sarbis quibusdam, aliis Taraxandra est nuncupata.

Quod ad Thessalam attinet, Turnebus Aduersariorum lib. 28. cap. 44. eandem esse putauit,

uit, quam Maro in sexto *Amphrysiam vatem* appellat; propterea quod Amphrysus amnis est in Thessalia. Quæ ratio profecto hic locum non habet. Cum enim Poeta eam Sibyllam, qua duce Æneam regna infera perlustrantem introducit, Cumæam ipsam fuisse, & in eo libro sexto magni operis, & in tertio eiusdem dicat; hanc autem ipsam postea Amphrysiam vatem vocet; cur iis verbis allusionem subesse ad Thessalam Sibyllam putet vir ille doctissimus non video. Tameñ enim poetica licentia confundi interdum personas haud prorsus negauerim, non tamen eo confugiendum videtur, nisi magna vergeat necessitas, quæ hic nulla apparet. Multo enim est probabilius Cumæam Sibyllam ibi ab Apolline, qui apud eundem Poetam *pastor ab Amphryso* in Georgicis dicitur, Amphrysiam, hoc est, Apollineam, itidem nominatam fuisse. Quæ & Seruii Grammatici ad eum locum interpretatio est.

Cæterum alii non desunt, qui ad longe pauciores hunc numerum redigant. Ælianus quidem *ποικίλης ἱστορίας* lib. 12. cap. 35. quatuor tantum agnoscere videtur: Erythræam, Samiam, Ægyptiam, Sardoniam. Solinus autem alios secutus tres dumtaxat nominat. Quem & Sibyllarum numerum amplexus est Ausonius in Grypho numeri ternarii:

*Et tres fatidice nomen commune Sibyllæ,
Quarum tergemini fatalia carmina libri.*

Hæ tres apud Solinum sunt: Delphica, Erythræa,

thræa, Cumana. Postremo Martianus Capella duas tantum esse dixit, Erythræam & Phrygiam, illamque a Cumana haud distinguit.

Cum tanta sit auctorum de Sibyllarum numero dissensio & pugna, quis de hoc numero aliquid se certum posse reperire confidat? aut quis ex tali opinionum varietate non intelligat, fieri posse ut omnes in numero earum constituendo hac etiam causa errent, quod plures fuisse arbitrentur Sibyllas, cum una tantum extiterit? Quod esse probabilius, aliorum complurium & præcipuorum dictis auctorum mox plenum faciam: sed prius de recentiorum, qui de Sibyllis tractatus ediderunt, proposito & tractandi ratione quid sentiam, eloquar.

Hi omnes propemodum nihil mihi dixisse videntur; quia in tanta multitudine nemo aut initium unde esset proficiscendum, aut viam qua incedere deberet, perspicere potuit. Ita omnes diuersa veterum auctorum de Sibyllarum numero testimonia colligentes, Varronis, Pausaniæ, Clementis Alexandrini, Lactantii, Augustini, Isidori & aliorum, ex hisque nomina & patrias earum referentes, nihil aliud, (pace eorum liceat dixisse) quam quod vulgo dicitur, faciunt centones. Hoc erat statim initio constituendum, vnam an plures Sibyllas Græcorum vetustissimi posuissent. Eos dico, qui priscorum Græcorum superstitionem secuti, ex Sibyllinis oraculis pendebant. Quibus si plures Sibyllas innotuisse constaret, exinde ad earum numeri investigationem

nem procederent: sin vnā tantum iis cognitam fuisse & celebratam pateret, id defenderent, alios qui plures ponunt, errasse ostenderent.

Sibylla profecto & vniuersum istud diuinationis genus res Græca est, a Græcis primum prodita; a quibus ad alias gentes literarum monumentis manauit. Non quia diuinæ apud alias nationes feminae non fuerunt, sed quia non sequitur, si qua sit mulier vaticinio clara, continuo esse Sibyllam. Id enim est quod multos in errorem induxit, quod Sibyllam a fatidica quauis femina non distinguunt. Quem errorem suo loco detegam, & quid inter Sibyllam & alias prophetides differat, certis bonorum auctorum testimoniis perspicuum dabo.

Nunc quibus coniecturis Sibyllam eiusque vaticinium Græcorum proprium esse arbitrer, exponam. Primum id ex ipsorum Christianorum disputationibus aduersus paganos colligo: qui inter alia argumenta & testimonia, quibus eos de vera religione conuinci posse arbitrabantur, Sibyllina quoque oracula iis proponebant, (vera an ficta nihil in præsentī interest) in quibus de Christi aduentu & regno esset proditum: quod scirent, non minoris apud eos auctoritatis esse Sibyllinos libros quam Pythiæ responsa. Cæterum omnia Sibyllina græca fuisse ex Lactantio colligitur loco supra citato. Verba adscribam: *Harum omnium Sibyllarum carmina & feruntur & habentur, præterquam Cumæ: cuius libri a Romanis occuluntur, nec eos ab ullo*

A 3 nisi

nisi a quindecim viris inspicere fas habent. Et sunt singularum singuli libri: qui quia Sibyllæ nomine inscribuntur, unus esse creduntur: suntque confusi, nec discerni ac suum cuique assignari potest, nisi Erythræ, quæ & nomen suum verum carmini inseruit, & Erythræam se nominat, ubi prælocuta est, cum esset orta Babylonie. Sed & nos confuse Sibyllam dicemus, si ubi testimoniis earum fuerit abutendum. Ex his Firmiani verbis luce meridiana clarius apparet, omnia Sibyllina græcis literis comprehensa fuisse: aliter non fuisset confusio loci, neque vlla in discernendis, quæ cuius essent, oraculis difficultas esse potuisset, si Sibyllæ patrio diuersarum nationum sermone scripsissent. Cum igitur Lactantius dicat, solius Erythræ quæ essent propria cognosci potuisse, quod hæc nomen suum vaticiniis inseruisset; sequitur, & aliarum Sibyllarum præscita græce fuisse conscripta. Quis porro in animum inducat, aliarum nationum Sibyllas, siue Phrygiæ, siue Cumæam Italiæ, ut volunt, indigenam, aut Tiburtem, Albuneam dictam, & alias barbaras vates græco potius quam patrio idiomate scribere instituisse? Quorsum enim? ut Græcis solis Christi aduentum & tanta bona, quæ Deus per eum hominibus facturum esset, nuntiarent? cur his potius quam aliis gentibus? Tum si ita est, cur Græcorum nullus ante Apostolos de Christo quicquam rescivit, aut scriptis meminit? Quæ eadem dubitatio exoritur opinantibus, vnamquamque proprio idiomate oracula scri-

scripsisse. Cur neque barbarorum vlli de Christo auditum ante id tempus, si neque iis Sibyllæ defuerunt, quæ (quod multo est in ea hypothesis verisimilius) veræ religionis mysteria illi vernaculo sermone præcinerent. Nego præterea (& est alia difficultas) potuisse mulierculas in Chaldæa natas, aut Phrygia, aut Italia, alia quam patria lingua vaticinari; nisi forte aliquis fingat, eodem quo futura præuiderent afflatu peregrinæ linguæ vsum accepisse. Sed hoc nullo modo verisimile est, & credendum Lactantio testanti, omnia Sibyllina græco idioma te perscripta fuisse. Ex quo efficitur, omnes Sibyllas (si quidem plures fuerunt) genere fuisse Græcas.

CAPVT II.

Vnam tantum Sibyllam Græcis cognitam fuisse.

Nunc vnam Græcis cognitam & celebratam fuisse Sibyllam maximorum eius gentis auctorum testimoniis probandum est. Plato igitur vbicumque Sibyllam mentionem facit, id nomen in numero singulari vsurpat. Ita enim in dialogo qui inscribitur Phædrus, siue de pulchro: καὶ εἰάν τις λέγωντες Σίβυλλαν τε καὶ ἄλλας, ὅσοι μανικῇ χρώμενοι ἐνθάδε, πολλὰ δὲ πολλοῖς πρὸς λέγον εἰς τὸ μέλλον ὀφθαλμοῖς. id est: Et si dicamus Sibyllam & alios, quotquot diuino afflatu vsi multa multis in futurum recte prædixerunt.

runt. Idem in Theage: *ἔιποις ἂν ἔν μοι, τίνα ἐπωνυμίαν ἔχῃ Βάκίς τε, καὶ Σίβυλλα, καὶ ὁ ἡμεδαπὸς Ἀμφίλυτος*. id est: *Potes mihi dicere, quo nomine appellentur Bacis, Sibylla, & ciuis noster Amphilytus?* Tres profecto ibi vates singulares nominat: duos viros, Bacidem & Amphilytum; feminam vnam, quæ Sibylla dicitur.

Sed neque Heraclitus aliter Sibyllæ, quam ut vnus singularis femina, mentionem facit. Quod ex loco Plutarchi in lib. de Pythiæ oraculis patet. *Σίβυλλα δὲ μαινομένη σόματι καθ' Ἡράκλειτον, ἀγέλαστα καὶ ἀμύρματα φρεσισομένη, χιλίων ἔτην ἐξικεῖται τῇ Φωνῇ διὰ τὸν θεόν.* id est: *Sibylla autem infano ore, iuxta Heraclitum, tetrica & horrida nullisque delibuta vnguentis sonans, voce attingit usque ad mille annos propter Deum.* Eodem spectant eiusdem Plutarchi verba de priorum nominum mutatione: *τὴν γὰρ Ἀλεξάνδρου μητέρα Πολυξέαν, εἶτα Μυρτάλην, Ὀλυμπιάδα τε καὶ Στρατονικήν κληθῆναι λέγασιν. τὴν δὲ Κορινθίαν Εὐμῆτιν ἄχρι νῦν Κλεοβούλην πατρῷον οἱ πλείστοι καλεῶσιν. Ἡεροφίλην δὲ τὴν Εὐρυθραίαν μαντικὴν γενομένην Σίβυλλαν προσαγορεύουσιν.* id est: *Aiunt, matrem Alexandri Magni, cum prius vocaretur Polyxena, postea Myrtalem, & Olympiadem, & Stratonicem dici cœpisse: Eumetiam autem Corinthiam plerique omnes ad hoc usque tempus Cleobulen patris nomine appellant. Sed & Herophilam illam, Erythris oriundam, cum esset vates, Sibyllam nuncuparunt.* Non esse igitur Sibyllam nomen appellatiuum omnibus feminis

minis vatibus commune, sed proprium vnius, ex his Plutarchi verbis discimus. Idem Plutarchus in eodem libro eos refellens, qui negabant amplius Delphis superesse vim illam fatidicam, quod Pythia non vt olim solebat versibus, sed prosa & pedestri oratione responsa daret, hoc modo disputat: *τί δὲ ἀπολείπει τὴν λέγοντι ἔρω-
 τικὴν μόνην γεγονέναι Σαπφῶν γυναικῶν, μαντι-
 κὴν μόνην γεγονέναι Σίβυλλαν, καὶ Ἀριστονίκην, καὶ
 ὅσαι διὰ μέτρων ἐθεμίστευσαν.* id est: *Quid re-
 fert, aliquis vnā e feminis Sappho amatoriam
 fuisse dicat, an solam pertendat Sibyllam apto ad
 vaticinandum ingenio praeitam fuisse, an Aristo-
 nicen, & alias quotquot versibus vaticinatae sunt?*
 Vbi velim obseruent studiosi, quam aperte Plu-
 tarchus Sibyllam ab Aristonice vate alia distin-
 guat. Quod non faceret, si Sibyllam nomen es-
 se omnibus fatidicis mulieribus commune pu-
 tasset. His adde alium eiusdem locum ex li-
 bello qui inscribitur *γυναικῶν ἀρεταί*, quo osten-
 dit eandem esse rationem virtutum in viris &
 feminis: *τί δὲ εἰὼν ποιητικὴν πάλιν ἢ μιμητι-
 κὴν ἀποφαίνοντες, ἔχ' ἐτέραν μὲν ἀνδρῶν,
 ἐτέραν δὲ γυναικῶν εἶσαν, ἀλλὰ τὰ Σαπφῶς
 μέλη τοῖς Ἀνακρέοντι, ἢ τὰ Σιβύλλης λό-
 γα τοῖς Βάκιδι ἀντιπαράβαλλοιμεν, ἐξ ἧς τις
 αἰσίουσθαι δικαίως τὴν ἀπόδειξιν.* id est: *Quid
 si poeticam rursus facultatem, aut quae penicillo
 imitatur, non esse aliam in feminis, ab ea quae in
 viris, dicamus; tum porro Sapphus cantica cum
 Anacreonticis contendamus; jure quisquam id ge-*

mus demonstrationis reprehendat. Nempe hic, vt Sappho, in iis quæ ad lyricam poësim attinent, Anacreonti melico poetæ comparatur, vna scilicet mulier particularis cum vno viro item particulari; sic etiam Sibylla cum Bacide, vt vates vna particularis cum altero singulari vate componitur.

Idem ex verbis Dionis Chrysostomi in oratione 13. colligi potest: ταῦτα δὲ ταῦτα καὶ Σίβυλλαν εὐερέσειε μαυλευμένην ὑμῖν καὶ Βάκιν. εἴπερ ἀγαθὴ χρησμολόγῳ καὶ μάντιε ἐγενέσθην. id est: *Hæc ipsa & Sibyllam inuenietis & Bacidem vobis diuinasse, qui quidem ambo fatidici & vates boni fuerunt.* Ecce in duali numero Sibyllam & Bacidem, vt duo humanæ naturæ indiuidua, componit.

His accedat Aristidis locus in Platonica prima, in quo etiam de Sibylla & Bacide fit mentio, vt de duobus indiuiduis: ὅσοι δ' αὖ καὶ καθάπαξ ὑποδύντες θεῶν καὶ τέχνης εἰδὲ μικρὸν μεταχόντες εἰ μόνον τοῖς ἐφ' αὐτῶν, ἀλλὰ καὶ τοῖς ὑστερὸν πολλὰ δὴ καὶ θαυμαστά περὶ εἶπον, οἷον εἰ βέλῃ, Βάκιν, Σίβυλλα, ἑτέρῳ μὲν τῶν. id est: *Quotquot rursus vel semel numine repleti, nec artis habentes quicquam, non suis tantum, sed & posteris, multa & miranda prædixerunt, vt Bacis, Sibylla, & ceteri.* Nec modus futurus dicendi, si cuncta quæ apud Græcos loca in eandem sententiam occurrunt, exscribere studeam: tum frustra eum laborem suscipiam, cum ex iis quæ attuli, id quod dixi, abunde demonstratum videatur.

CAPVT III.

*Ciceronis loca de Sibylla; item
Varronis.*

NEc vero Græci tantum hoc modo de Sibylla locuti sunt, sed & Romani eorum exemplo: vt videre est apud Ciceronem, quoties occasio incidit, vt Sibyllæ mentionem faciat. Quod aliquot eius locis ostendere placet. Ita ergo in primo de natura Deorum scribit: *Cumque omnis populi Romani religio in sacra & in auspicia diuisa sit, tertium adiunctum sit, si quid prædictionis causa ex portentis & monstris, Sibyllæ interpretes haruspicesque monuerunt: harum ego religionum nullam vnquam contemnendam putavi.* In primo etiam de Diuinatione, vbi de iis agit, qui furore correpti vaticinantur, vt, inquit, *Bacis Boeotius, vt Epimenides Cres, vt Sibylla Erythræa.* Recte autem Erythræam nominat, quia vt infra ostendam, aliam Græci non agnouerunt. Rursus eodem libro: *nam terræ vis Pythiam incitabat, naturæ Sibyllam.* Neque vero est quod quisquam argutetur, & ipsam Pythiam singulari numero ibi efferri a Cicerone, cum tamen non vnā, sed multas fuisse constet: hæc disparitas est, quod Pythia vna quidem semper munere eoungebatur, ideo in singulari vsurpatur a Cicerone & aliis; quod non obstat quin plures fuerint successione, quia vna extincta, alia in eius locum substituebatur, inque eo munere

suc-

succedebat. Quod de Sibylla dici non potest, cui alias eiusdem nominis & facultatis successisse non legimus. Idem in 2. de Diuinatione: *Sibyllæ*, inquit, *versus obseruamus, quos illa furens fuisse dicitur*. Infra etiam: *Sibyllam quidem sepositam & conditam habeamus*. Et in epistola 7. ad Lentulum, vbi de Ptolemæo rege reducendo in regnum: *sine multitudine reducatur, quemadmodum homines religiosi Sibyllæ placere dixerunt*. Denique nusquam Cicero de Sibylla, nisi vt de singulari femina. In quo non leuis, fateor, mihi exoritur scrupulus. Cum enim M. Varro, vt visum est, decem fuisse Sibyllas scripserit, mirum sane videri possit, nihil de eo numero vnquam a Cicerone proditum fuisse: neque enim hunc Varronis latuisse de numero Sibyllarum sententiam verisimile est. Cur igitur huius non saltem meminit in libris de Diuinatione? si vellet meminisse, non alius opportunior erat locus. Quæ igitur silentii causa? negligentia? non credo. Quid igitur? oblitus huius mentionem facere? ne id quidem. Nihil video probabilius, quam non putasse hanc opinionem dignam cuius aliquam rationem haberet.

At Varro, vt fere omnes qui eruditionis & πολυμαθείας amore ducuntur, omnia quæ vspiciam legisset, siue vera siue falsa, studiosè colligebat, vt multorum conditor voluminum diceretur. Quo sane fiebat, vt vtilibus & scitu dignis quædam, vt Gellius de eo prodidit, congereret frigidiuscula: vt quæ in Hebdomadibus de numeri

meri septenarii potestate commemorat. *Septem opera esse in orbe terrarum miranda, & sapientes item veteres septem esse: curricula ludorum Circensium solennia esse septem: ad oppugnandas Thebas duces septem electos: se quoque duodecimam annorum hebdomadam ingressum esse: & ad eum diem septuaginta hebdomadas librorum conscripisse.* Hæc & alia id genus friuola Varro, ne quid, quod in literis esset, intactum relinqueret.

Caterum absit hæc vanitas a nobis, ut putemus tantum virum, in iis omnibus quæ ab aliis prodita exciperet, voluisse obstringere fidem suam. Quin neque hunc plus vna Sibylla agnovisse, coniectare licet ex verbis eius in Præfatione librorum de Re Rustica: *Neque patiar, inquit, Sibyllam non solum cecinisse quæ, dum viveret, prodesse hominibus, sed etiam quæ cum periisset ipsa, & id etiam ignotissimis quoque hominibus. Ad cuius libros tot annis post publice solemus redire, cum desideramus quid faciendum sit nobis ex aliquo portento: me, ne dum vivo quidem, necessariis meis quod prosit, facere.*

CAPVT IV.

Non plures fuisse Sibyllas insuper aliorum testimoniis probatur.

IAm vidimus, ut Plutarchus Sibyllam ab aliis fatidicis mulieribus distinguat; id vero nunc aliorum testimoniis confirmare libet. Quo autem

tem certiore quam doctissimi Plinii lib. 7. cap. 33. quod *de diuinatione* inscriptum est? *Diuinitas*, inquit, & *quædam calitum societas nobilissima ex feminis in Sibylla fuit, ex viris in Melampode apud Græcos, apud Romanos in Marcio*. Vbi quos diuinissimos hominum habuerit vetustas, refert; nempe in eo albo fuisse Melampodem apud Græcos, Marcium apud Romanos: at Sibyllam ex feminis nobilissima calitum, hoc est, Deorum societate venerabilem & augustam fuisse censet: diuinissimam inquam inter feminas, nedum huic alias pares fuisse arbitretur. Quod cum Sibyllæ proprium facit, sine dubio hanc vnam & singularem eius nominis fuisse declarat.

Id cum adeo manifestum sit Plinii de vna vate Sibylla eaque diuinissima testimonium, satis mirari non possum, quosdam extitisse, eosque non indoctos, qui plures ex Plinio Sibyllas profiterentur. In his est Onuphrius in libro quem de Sibyllis composuit; vbi Plinio falsam hanc opinionem affingit his verbis: *Plinius lib. 34. cap. 5. auctor est, Romæ in foro iuxta rostra trium Sibyllarum fuisse statuas cæteris minores: ex his vnam Pacuuius &c.* Quem errorem & Ludouicus Viues sequitur, ei adstipulatus inconsulto Plinio, quod miror: adeo bona fide exscripsit Onuphrii locum, ad caput 23. lib. 18. de civit. Dei: *Plinius est auctor, Romæ trium Sibyllarum fuisse statuas iuxta rostra, vnam quam Pacuuius Taurus edilis plebis instituit, duas quas Marcus Messala*. Has censet esse, Cumanam, Delphicam,

cam, & Erythræam Heriphilen, Solino memoratas cap. 8. Ambo hallucinati. Quod ut pateat, locum Plinii adscribam: *Equidem & Sibyllæ* (supple *statuas*, nam de his loquitur) *iuxta rostra esse non miror, tres sint licet: una quam Sextus Pacuvius Taurus adilis plebis restituit: duas quas Marcus Messala.* Hæc igitur cum Onuphrius legeret, trium Sibyllarum statuas putavit induci, cum Plinius unius eiusdemque Sibyllæ tres intelligat statuas non eodem tempore positas: dum quidem uni ævo corruptæ alteram substituit ædilis Pacuvius, huic postea duas Messala, non eodem tempore. Neque enim absurdum, aliquo casu una priore consumpta, alteram non multo post ab eodem magistratu denuo substitui. Immo vero eiusdem Sibyllæ tres statuas in rostris fuisse positas quid vetat, velut in eodem templo apud nos plures eiusdem Sancti effigies videre est? Quin Demetrio Phalereo trecentas & sexaginta statuas Athenis eodem tempore positas fuisse, idem Plinius ibidem refert, & ex Græcorum etiam monumentis nemini non erudito compertum. Quod autem tria hæc simulacra non fuerint trium diuersarum Sibyllarum, satis ipse Plinius declarat his verbis, quibus nihil clarius: *Equidem & Sibyllæ* (statuas) *iuxta rostra esse non miror, tres sint licet.* Primum enim Sibyllæ ait statuas, non Sibyllarum: deinde se non mirari, licet tres sint statuæ; quod non erat opus admonere, si totidem has effigies Sibyllarum, non autem unius eiusdem putasset. Nempe
idem,

idem, quod modo dixi, intellexit, eiusdem viri aut mulieris plures eodem tempore imagines siue statuas posse constitui.

CAPVT V.

Quod Sibyllæ nomen non, ut vulgo creditur, appellatiuum sit, pluribus probatur contra Grammaticos.

CÆterum quia multas fuisse feminas vates inconfesso est, nomenque istud *Sibyllæ* Grammatici appellatiuum esse docent, ideoque commune omnibus diuinandi peritis, ad earum vim & facultatem indicandam: quæ id fiducia affirmant, audire, & quæ afferunt accuratius considerare operæ pretium censeo; eoque impensius, quod plures citant testes, in quibus & Varronem teste Lactantio citato loco. *M. Varro*, inquit, *quo nemo vnquam doctior, ne apud Græcos quidem, nedum apud Latinos vixit, in libris rerum diuinarum, quos ad C. Cæsarem Pontificem maximum scripsit: cum de quindecim viris loqueretur, Sibyllinos libros ait non fuisse vnius Sibyllæ, sed appellari uno nomine Sibyllinos, quod omnes femina vates Sibyllæ sint a veteribus nuncupatæ.* Varro adstipulatur Seruius ad tertium *Æneidos*: *Sibylla*, inquit, *appellatiuum nomen est, adeo ut Varro, quot Sibyllæ fuerint, scripserit. Sibylla autem dicitur omnis puella cuius pectus numen recipit.*

Ad-

Adstipulatur & Hesychius Illustrius : Σίβυλλα
 Ῥωμαϊκὴ λέξις ὅτιν, ἐρμηνευομένη Πρῶφῆτις· ὅθεν
 αἱ θήλειαι μάντιες ἐνὶ ὀνόματι Σίβυλλαι ὠνομαζοντο.
 idest: *Sibylla dictio est Romana, fatidicam mu-*
lierem significans: unde vates feminae vno nomi-
ne Sibyllæ vocabantur. Quod latinam esse di-
 ctionem censet *Sibyllam*, infra perpendemus
 vbi de etymo.

Eadem habet Isidorus in libris Originum,
 item Antimachus in libro de oraculis Sibylla-
 rum. Quæ considerans Lilius Gyraldus, ac
 tanto Grammaticorum consensu persuasus, Si-
 byllam nomen esse facultatis atque officii; con-
 sequens putauit, multo plures quam decem fuis-
 se Sibyllas: totidem scilicet, quot seculis omni-
 bus feminae futura prænuntiasse inueniuntur.
 Ita enim in 2 dialogo de Poetarum historia lo-
 quitur: *Nolim vos tamen decem tantum Sibyllas*
nuncupatas existimare, ut scriptorum fere magna
pars ad hanc diem credidit: nam quaecumque di-
uino afflarentur numine & futura prædicerent, hæ
Sibyllæ græca voce dictæ fuere. Nam & Phemo-
 noen & Cassandram Sibyllas vocatas inuenimus.
 Non male ille quidem, si Sibylla nomen appel-
 latium est, commune omnibus feminis vati-
 bus: & si, quaecumque aliquid de futuris prædi-
 ceret, Sibylla olim nuncupata. Verum hæc
 quam sit falsa opinio, nunc certe faciam vt
 omnes intelligant.

Quod igitur & Phemonoen & Cassandram eo
 nomine appellatas se inuenisse autumat, quære-

rem ab illo libenter, si viueret, apud quos auctores id scriptum inuenerit: si indoctos, nihil moror; si eruditos & prisca æui, horum & nomen & locum indicaret. Quod cum non facit, & fieri non posse certo scio, superest vt hunc mentitum dicamus. Damus autem testes contra eum omni exceptione maiores. Audiamus Pausaniam in Phocicis: *Φαεννὶς δὲ θυγάτηρ Εασιδόου* [ὁ] *ἀνδρὸς ἐν Χαόσι, καὶ αἱ Πέλειαι τῶν Δωδωναίων ἐμαντεύσαντο* [ο] *μὲν ἐκ Θεῶ καὶ αὐτὰ Σίβυλλαι δὲ τῶν ἀνθρώπων ἐκ ἐκλήθησαν.* id est: *Phaennis vero, hominis in Chaonibus regnantis filia, & Pelee apud Dodoneos, diuinarunt quidem ipse, non tamen Sibylla ab hominibus nominata fuerunt.*

Idem ex Hygini veteris Grammatici libro Fabulosa historiae intelligi potest: vbi de antiquis vatibus vtriusque sexus singulari capite tradit hunc in modum: *Amycus Elati filius, Mopsus Amyci filius, Amphiarus Oeclei vel Apollinis filius, Manto Tiresiae filia, Polyidus Cærani filius, Helenus Priami filius, Cassandra Priami filia, Calchas Thestoris filius, Theoclymenus Polyphidei filius, Theonoe Protei filia, Telemus Eurymi filius, Sibylla Samia, alii Cumæam dixerunt.* Ibi cum vates feminas complures enumeret, non tamen harum vllam Sibyllæ nomine appellat, præter vnā, quam expresse Sibyllam vocat, & ab aliis distinguit. Jam vero quot alias memorare possum diuinandi peritia celebres feminas, quæ nunquam Sibyllæ fuerunt vocatae? Non enim

Cassan-

Cassandram eo nomine appellauit Hyginus, vt vidimus; non Maro, non alii scriptores, quicquid Gyraldus contra obstrepat; non idem Maro Carmentam Euandri matrem,

cecinit quæ prima futuros

Æneadas magnos, & nobile Pallanteum.

Huic antiquum nomen fuisse Nicostratæ ferunt; post Carmentam dictam a furore, quasi mente carentem, si Plutarchum audimus, qui nominis hujus hanc originem tradit in *Quæstionibus Romanis*. vnde etiam *carmina* censet dicta, quod insanæ illæ mulieres sua responsa versibus modulari solerent.

De Phemonoe nulla mihi obijcitur dubitatio, quin vates simpliciter habita & dicta fuerit, nunquam Sibylla. Et semper credam, donec mihi proferatur locus antiqui alicuius auctoris, qui hanc nomine Sibyllæ appellet. Certe Plinius lib. 10. cap. 3. hanc testem citans, Apollinis quidem filiam vocat, non tamen Sibyllam: *Phe-monoe dicta Apollinis filia dentes ei esse prodidit*. De tertia aquilarum specie ibi tradit, quod genus Græci *μορϕων*, Homerus *πεγκνὼν* vocat. cui dentes inesse præter aliarum auium naturam, Phemonoes istius auctoritate confirmat.

Sic & Plato in *Symposio* Diotimæ fatidicæ mulieris sermonem recitans, habitum cum Socrate de natura amoris, hanc *γυναικα πανλιχήν* simpliciter vocat; ita enim lego, non *παντινικήν*, vt quibusdam placet. Sed neque Arrianus Syram illam vatem e comitatu Alexandri Ma-

gni: aut Eunapius Sosipatram Dæmonum alumnam, & semper numine, vt vocat, afflatam: aut Hyginus Manto Tiresiæ vatis filiam, vel Theonoe, aut alias supra memoratas, Sibyllæ appellatione comprehendunt. Omnium maximum argumentum, quod Plutarchus, qui tam multa de Pythia Apollinis sacerdote & vate celeberrima prodidit duobus libris de ea editis, nunquam aut in his aut alibi vsquam hanc Sibyllam appellat, sed Pythiam semper. Quod & Herodotus & Xenophon & alii scriptores antiqui obseruant. Multa alia in eandem sententiam possem adungere; sed vereor in re doctis omnibus comperta diutius lectores morari.

CAPVT VI.

*Nomen hoc Sibylla quid significet;
varia de eius etymo eruditorum
opinionες.*

SEd rursus pugnant argumento ab origine ipsius nominis ducto, quod id nomen significet vaticinandi peritiam. Ita namque Hesychius Illustrius loco supra allato: *Σίβυλλα Ρωμαϊκὴ λέξις ὅτιν, ἐρμηνεύομένη Περσφῆλις, ὅθεν αἱ θεῖαι μάγισσαι ἐνὶ ὀνόματι Σίβυλλαι ὠνομάζοντο.* In quam sententiam omnes prope pedibus vadunt. Verum vt hoc iis largiamur, non tamen quicquam efficiunt. Neque enim sequitur, non fuisse id nomen proprium vnus singularis

aris puellæ fatidicæ, quia vatem significat. Quot nomina proferre possum propria, quæ tamen, si ipsam significationem spectes, multis communia esse possunt, haud secus ac quæ appellatiua dicuntur. Innumera exempla huius habeo: vnum sufficiet, nomen istud *ἀνθρωπ*; quod cum significet hominem, omnibusque hominibus conueniat, tamen proprium fuit cuiusdam athletæ, vt in Græcorum Aristotelis interpretum commentariis me obseruare memini.

Patet igitur, nihil valere argumentum ductum ab etymo: de quo tamen obiter data occasione aliquid dicendum est. Sunt autem doctorum de huius vocabuli origine opiniones tam diuersæ, vt vix animus vbi consistat habeat. Maxime communis & recepta etymologia est: *σιὸς*, hoc est, *θεὸς* Æolum lingua, *Deus*; & *βελή*, *consilium*: vates enim Dei consiliorum particeps & gnarus efficitur, cum numine afflatur. Non tamen absurdi, qui istius nominis originem deducunt a *sibo*, quo nomine veteres Latinos callidum & acutum designasse, auctor est Festus in Lexico. Verum Salmasius a Græco *σίβη* mauult deducere. Sane si latinum id nomen esset, non produceretur penultima eius syllaba in *Sibyllinus* apud bonos auctores; sed corriperetur, vt in his deriuatis, *ἀνθρωπιν*, *λίπιν*, *ξύλιν*.

Quid si non a *σιὸς*, neque a *σίβη*, neque latino *sibus*, id nomen formatum, sed a verbo *σίνω*, quod est *ladere*, & *βελή*: *ὡδὲ τὸ σίνεσθαι*

τὴν βελήν, a mentis & consilii oblaesione, quam vates furore correpti patiuntur? Huius compositionis exempla in his nominibus, σιῶπη, & σι-
ΦλⓈ, *silentium*, *cæcus*, animaduertere licet: quorum prius fictum censetur ὡς δὲ τὸ σίεν τὴν ὄπα, ad significandam vocis priuationem: nihil enim aliud silentium esse videtur, quam vocis quædam priuatio; si vocis priuatio dici potest interruptio eius & cessatio voluntaria: posterius autem idem quod ὁ σεπινομένⓈ τὰς ὀφθαλμοὺς *qui oblaesa est oculorum acie*. Nihil igitur obstat, quo minus hanc nominis Sibyllæ originem amplectamur, cum aliis memoratis probabilitate haudquaquam concedat. Nam quod quidam Sibyllam volunt nominatam a verbo Ebræo *fabal*, quod est *portare*, nimis remotum videtur: quia vates Deum in pectore portant, & animæ suæ incolam circumferunt, juxta illud Horatii:

Non Dindymene, non adytis quatit

Mentes sacerdotum incola Pythius;

vnde & nomen Pythonissa in sacris literis, & in Græcorum monumentis Ευρυκλῆις, & ἐγλασεῖ-
μοι ab incolatu dæmonis; & Sibyllarum antiquissima *Sambethe* dicta, ab eodem verbo *fabal*. Ita Thysius Miscellanearum exercitatio-
num cap. 13. Hoc, inquam, nimis remotum; cui tamen hæc magis arridebit coniectura, hanc sequatur per me licet.

Sane si est, vbi ingenio ludum dare liceat, maxime in inuestigandis nominum originibus

id

id cuius permiffum arbitror. Quod ftudii genus licet fola conjectura nititur, vixque certi aliquid habet; nescio, quomodo tamen doctiffimum quemque & ingeniofiffimum mirifice oblectat: adeo, vt ne grauiffimi quidem Philofophorum fibi temperare potuerint, quin eo ludi genere inter altiffimas philofophiæ difputationes animo fuo indulgerent. Sic Plato in Cratyllo, fiue recta nominum ratione, multarum origines dictionum perfequitur; fed ea licentia, vt tota illa tractatio ludicræ potius exercitationis ad folam animi voluptatem comparatæ, quam feriæ occupationis fpeciem præbeat: adeo quæ ibi affert leuia & friuola acutius excutienti deprehenduntur. Neque in hoc genere grauior aut folertior videtur Aristoteles; vel etiam Plotinus, cæteri que fapiientiæ antiftites; qui modo aliquid, quod ad propositum alludat, dicant, parum id, verum an falſum fit, curant. Sed de Sibyllæ etymo hætenus.

Patet autem ex his, non poſſe idoneum vllum contra nos argumentum trahi ex nomine Sibyllæ. Quod autem hoc nomen, vt dixi, proprium fit feminæ alicuius vaticinio fupra alias omnes eminentis, aliud argumentum addere placet ex Cedreni Annalibus; tametfi multis quauis etymologia futilius viſum iri non dubito, fed tamen animi gratia ſubiungam. Is de Saba Æthiopum regina, ea cuius fit mentio in libris Regnorum, verba faciens, & nominis affinitate, vt arbitror, & ſapientia ipſius feminæ indu-

ctus, vtpote quæ Salomonis visendi atq; interrogandi causa in Judæam proficisci non dubitauerit, hanc ipsammet Græcorum Sibyllam fuisse censet. καὶ βασίλισσα Σαβᾶ, ἥτις ἐλέγετο Σίβυλλα παρ' Ἑλλήσι.

CAPVT VII.

Loca quædam difficilia explicantur.

CÆterum non est satis, luculentis veterum scriptorum testimoniis probasse, vnam tantum fuisse Sibyllam, nisi etiam loca quædam non minus grauium auctorum, quæ prima facie nobis aduersari videntur, explicamus; ne quis iis deceptus, a recto veritatis tramite, quem ostendimus, aliorum transuersus rapiatur. In his est ille Aristotelis in problemate primo sectionis trigessimæ naturalium quæstionum: quo loco de bilis atræ natura & viribus disputans, huic vatum furorem adscribit, & in exemplum adducit Sibyllas & Bacides; ita enim eos vates in plurali nominat: πολλοὶ δὲ διὰ τὸ ἐγγὺς εἶναι τῷ νοεῖν τὸ πρὸς τὴν θερμότητα ταύτην, νοσήμασιν ἀλλόκοτον αἰμασινικοῖς, ἢ ἐνθουσιαστικοῖς, ὅθεν Σίβυλλαι καὶ Βακίδες. id est: Multi etiam propterea quod ille calor sedi mentis in vicino est, morbis vesaniae implicantur, aut instinctu lymphatico inferuescunt, ex quo Sibyllæ efficiuntur & Bacchæ. Ita Theodorus Gaza, & recte, vertit; nisi quod in voce vltima la-

lapsus est, *Bacchæ* vertens pro *Bacides*, quod vatum quorundam est nomen: ut pridem ab aliis est animaduersum. Hic ergo videtur Aristoteles non obscure agnoscere multas Sibyllas.

Sed & Plutarchus in libro de Pythiæ oraculis, in quo quærit: quamobrem desierit Pythia versibus responsa dare? pariter Sibyllas in numero plurali nominat: Σίβυλλαι δὲ αὖται καὶ Βάκιδες, ὥσπερ εἰς πόντον ἀτεκμαίρως τὸν χρόνον κατέβαλον καὶ διέσπειραν, ὡς ἐτυχε παντοδαπῶν ὀνόματα καὶ ῥήματα παρθῶν καὶ συμπλημάτων. id est: *Sibyllæ vero ipsæ & Bacides in tempus, tanquam in vastum & profundum mare, proiecerunt ac disseminarunt, nulla coniectatione atque ut fors tulit, omnifaria nomina & verba cladium atque euentuum.* Tum ibidem de quodam saxo, in quo Sibyllam consedissee aiebant, & adhuc Delphis visebatur, loquens: ἐφ' ἧς, inquit, λέγεσθαι κατίζεσθαι τὴν πρώτην Σίβυλλαν: Neque enim *primam* Sibyllam videtur dicturus fuisse, nisi alias fuisse agnosceret.

Hæc, fateor, aliquid negotii primo aspectu legentibus facere possint, non tamen iis qui superiorem nostram viderint disputationem, modo paulum salis critici habeant. Quod enim ad Aristotelis locum attinet, non immerito aliquis suspicetur mendose scriptum Σίβυλλαι pro Σίβυλλα. Quid enim facilius quam vnum iota addere? Ac ne quis a me hoc gratis dici putet, huic suspicioni occasionem dat antiqua versio latina horum problematum, quam Aponensis, vulgo

Conciliator dictus, qui cum Aristotelis librum commentariis auxit, sequebatur; quæ sic habet: *Multi autem & propter hoc quod hæc caliditas est prope intellectuum locum, agritudinibus consumuntur maniacis aut diuinariis: unde Sibylla & Bacides.* Nota etiam eiusmodi extat ad marginem: *Nota de Sibylla & aliis diuinis.* Sed & ipse Aponensis in commentario congruenter ei versioni sic memorata verba explanat: *Et plurimi, eo quod caliditas colera nigra est prope locum, in quo viget operatio intellectus diuina, puta circa virtutes phantasticas, cadunt in agritudines maniacas: ita quod efficiuntur amentes, diuinantes, & Pythonici: & inducit quosdam qui fuerunt tales diuini prope, quod Sibylla in prophetia famosa, & Bacides.* Hæc eo fidentius afferro, quod plerumque accidit, vt ex impolitissimis versionibus & semibarbaris, modo antiquis, corrupta bonorum auctorum loca emendentur. Si cui tamen non satis iusta hæc causa vel vnum iota mutandi in textu Aristotelis videatur; fortasse istud satisfaciet, si nimirum, quod alias interdum fieri obseruatur, hic factum dicamus, vt Aristoteles *Sibyllas* dixerit pro *Sibylla*, per eam quam Grammatici vocant numerorum enallagen. Qua & philosophos aliquando vti, ostendunt hæc Platonis in Symposio: καὶ ὁ γὰρ αὖ, Φαίδρος, Ἀγάθωνας, Εὐξίμαρχος, Πανσανίας. cui similia occurrunt passim apud eundem exempla, sed & apud latinos auctores; Iuuenalis:

Qui Curios simulant & Bacchanalia viuunt.

Ita

Ita & Arnobius lib. 1. *Quamvis Epicados omnes, Casellios, Verrios, Scauros teneatis & Nisos.* quæ nomina sunt propria veterum Grammaticorum in numero multitudinis per eam figuram vsurpata. Sexcenta apud auctores in hunc modum. Neque vero mihi id primum super hoc Aristotelis loco in mentem venit, sed & Petro Victorio multo ante; qui verba illa ὅθεν Σίβυλλαι καὶ Βάκιδες sic in numero multitudinis posita exponit, vt figura nota vsum Aristotelem non dubitet, libro 26. Variarum Lectionum c. 16. De qua eius loci interpretatione videndus Muretus lib. 13. Var. Lect. cap. 15. cui tamen hic, quod ad Bacidem attinet, negat esse locum: propterea quod ipse tres Bacidas fuisse, quorundam testimonio certum autumat, cum Victorius vnum vatem extitisse eius nominis putaret. De quo quid probabilius mihi videatur, alias in dissertatione de Bacide dicetur.

Quod autem Plutarchus loco supra allato primam ait Sibyllam quodam in saxo Delphis confedis- se, neque hoc probat plures fuisse Sibyllas; neque necesse est, quia primam nominat, alias post illam primam in eadem petra sedisse, ibique oracula fudisse: sicut non sequitur, quia Hector apud Homerum dicit,

Πολυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναθήσῃ.

Primus Polydamas mihi exprobrabit;

multos fuisse Polydamantas in Trojanorum exercitu, qui auderent Hectori exprobrare, si id de quo ibi agitur fecisset: aut plures Trojanos prin-

cipes Æneæ nomine in Italiam venisse, quia Maro Æneam primum e Trojæ finibus eo peruenisse primis magni operis versibus testatur:

*Arma virumque cano, Trojæ qui primus ob oris
Italiam fato profugus Lauinaque venit
Litom.*

Nihil enim aliud ex his locis sequitur, nisi alios fuisse Troja profugos, qui in Italiam post Æneam descenderunt; alios in Trojanorum exercitu, qui Hectori si quid parum honestum fecisset, Polydamantis exemplo exprobrarent. Neque igitur aliud ex iis Plutarchi verbis efficitur, nisi ideo primam dici Sibyllam in eo saxo sedisse, quia alias postea contigit in eodem loco consistere; non quidem Sibyllas, sed fatidicas post Sibyllam. Adde his locum Platonis in Hippia maiore statim initio; vbi Hippias sophista illustris sic loquens inducitur: ἡ γὰρ Ἡλῆς, ὅταν ἂν δέηται διαπεράξασθαι πρὸς τινὰ τῶν πόλεων, αἰεὶ πρῶτον ἐμὲ ἔρχεται τῶν πολιτῶν. id est, *Elis namque ciuitas, ubicumque aliquid cum quapiam aliarum ciuitatum tractandum est, ad me primum ex ciuibus veniunt.* An igitur quisquam ex his verbis inferat, plures fuisse Elide eius nominis sophistas? & non potius, Hippiam istum fuisse, ad quem ex omni ciuium multitudine, vbi quid maioris momenti in republica agendum esset, ciuitas se conferret. Nihil proinde aliud, inquam, Plutarchus iis verbis vult, nisi primam ibi fuisse Sibyllam omnium quæ eo postea accesserunt fatidicarum; quod plane efficietur, si moto articulo, non τὴν πρῶ-

την, vt mendose scriptum est, sed πρώτην τὴν Σί-
βυλλαν legamus. Sic Plutarchum & veritati
amicum, & sibi ipsi concordem faciemus.

Haecenus quid de Sibyllarum numero dicen-
dum putem, exposui: nempe hanc vnicam tan-
tum fuisse. In qua opinione constituenda si
Græcorum nonnullis elaboratum est, vt Viues
ad cap. 23. libri 18. de ciuitate Dei autumat: non
equidem minus ea causa meam hanc putem do-
ctrinam, immo, eo potiori iure meam, quod huic
lucis non parum mea opera confido allatum &
roboris ad fidem in animis hominum non præ-
occupati iudicii obtinendam.

CAPVT IIX.

*De Sibyllæ ad vaticinandum facul-
tate, & aliis ad eam rem pertinenti-
bus; ac primum, an aliqua anima
humana insit vis prænoscenti
futura?*

HAc perfunctus disputatione, ad alia quæ in
hac Sibyllæ rerum consideratione se offe-
runt tractanda deinceps me confero; quando
non obiter tantum de hac vate, & ob aliud,
nempe ob ea oracula quæ eius nomine feruntur,
disputare institui, sed ipsius causa, vt quæ de ipsa
in veterum monumentis scitu digna extant per-
scripta, in lucem proferantur. In his igitur pri-
ma occurrit indoles siue facultas præsagiendi fu-
tura,